

Lingman  
· Junis  
rom.  
vestigia

1759

KC  
720



53  
1130  
12


IVRIS ROMANI ANTIQVISSIMI  
IN IVRE HODIERNO  
EXPRESSA VESTIGIA  
OSTENDIT  
CAROLVS GODOFREDVS ZIZMANVS

Hc 720

2098.



IMISSINDITAE MAKOR 212VI  
OYKIOE 122V MI  
ADITAE MAKOR  
212VI  
212VI



VIRO EXCELLENTISSIMO,  
IVRIS CONSVLTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO  
FRIDERICO HENRICO GRAFIO,  
L. V. D. ET SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS, NEC  
NON IVDICII SACRI ADVOCATO DISERTISSIMO  
SALVTEM OFFICIOSAM DICIT  
CAROLVS GODOFREDVS ZIZMANVS

---

**S**emper, quoties res meas mecum reputo, soleo fati  
mei felicitati gratulari, quae me, ex Academicorum  
doctorem scholis dimissum, in TVAM domum  
disciplinamque detulerit. Nam, cum TV is sis, Vir  
Iuris consultiſſime, cuius non minori humanitate, do-  
ctrina, experientia et rerum usu commendabilis insti-  
tutio videatur: facile intelligo, mihi nihil optabilius,  
neque ad futurae aetatis meae rationem vilius, con-  
tingere potuisse, quam quod TE nactus sim in rebus  
fori ducem, e quo, quid huic vitae generi conue-  
niat, quae fugere, quae appetere debeam, possim opti-  
me

me perdiscere. Nam merito, Vir Consultissime, omnibus fidei et honestatis studium, quod in TE summum, et cum accurata doctrina coniunctum est, vehementer probatur. Quare, quod earum virtutum fructum mihi voluisti concedere, cum me finas auctoritate TVA uti, multum TIBI debeo et semper debeo. Id vero constitui nunc quidem publice TIBI profiteri hoc ipso tempore, quo acceptorum, ante viginti et quinque annos, summorum in iure honorum memoriam ita recolis, ut eius rei recordatio eodem modo reipublicae, de qua inde ab eo tempore optime meritus es, ac TIBI, debeat iucundissima esse. Opto vero vehementer, ut ea in posterum TIBI et amplissimae genti TVAE uniuersae contingant, quae summam, in his humanis rebus, felicitatem efficere videntur, utque istius felicitatis fructum ita constantem percipias, ut id rei publicae, genti TVAE, clientibus TVIS, in quorum numero ego quidem semper ero, optabile videbitur. Vale.

Scripsi Lipsiae A. D. VIII. DEC.

CIOCCCLVIII.

**E**tsi hoc tempore pauci forte sunt, qui omnem omnino historicae iuris scientiae vtilitatem, in hac litterarum luce, in dubium vocare velint: non tamen dubito, inueniri non paucos, qui in repetendis iuris ciuilibus originibus ad regum et liberae reipublicae tempora adscendendum esse negent. In eorum itaque vtilitatem constituimus istius rei necessitatem et vtilitatem ita ostendere, vt vestigia earum rerum, quae antiquissimis temporibus essent institutae, in iure adeo hodierno expressa indicemus. Quod ita facillime apparebit, si non pauca apud nos, quae fori vsus legumque patriarum tenacitas conseruauit et confirmauit, ex istis antiquissimis fontibus deriuata esse declarauerimus. In quo negotio facile praecuidemus, nouitatis gratiam iuuenili commentariolo nostro contingere non posse; nec forte eam aucupamur. Satis nobis erit, probasse doctoribus nostris, a quibus instituti sumus, nos eorum auctoritatem et sequi velle, et praecepta retinuisse.

Patres in liberos suos summam auctoritatem apud nos quoque habere, nemo facile ignoret. Patribus vsufructus in bonis liberorum conceditur; debent in omnibus negotiis, quibus periculum damni inest, auctores fieri; antequam vincula patriae potestatis disso-

)

luta

luta sunt, nihil fere filius sine patre potest. Quis vero dubitet? istorum iurium, quibus patres vtuntur, originem in ipsius vrbis Romae primordiis quaerendam esse. Romulus scilicet istud ius, quod primis ciuibus Romanis in liberos dedit, ad patres quoque nostros detulisse censendus est. Vnde vero explicari istud de patria potestate caput, non contemnendum quidem iuris Romani, poterit? nisi si quis rationem eorum habuerit, quae a Romulo instituta, et ad nostra tempora propagata sunt. Eo pacto intelliget, quare liberis in matrimonii ineundis patris consensu opus sit; quare pupillariter liberis substituendi facultas parentibus data, et omne fere ius patriae potestatis solis legitimis parentibus tributum sit.

Prouocationis, quae appellationis nunc nomen nacta est, fructus, causarum patroni et norunt, et amant. Sed vereor, ne huius beneficii causa regi Romano antiquissimo Tullo Hostilio obstricti simus. Etenim non dubito, eius rei originem ab ipsis regum temporibus repetere. Nota est illa Curiatorum et Horatorum pro patria pugna, celebrata Horatii victoria et sororis eam dolentis caedes. Merita hominis et atrox crimen in diuersa rapiabant regem. Volebat vltor criminis, gratus quoque erga Horatii merita videri, Constituit Duumuiros, penes quos de perduellione iudicium esset. Praeuidebat Horatium non posse sine legum periculo poenis legum subduci. At hoc ipsum dolet. Ostendit itaque Horatio viam, in qua ad miserationem populi possit progredi. Iubet oppressum sententiae grauitate ad populum prouocare. Populo  
mitigan-



mitigandae sententiae et miserationis facultatem tribuit. Hinc prouocationis origo, quae tandem Imperatoribus propria facta est. Iste mos appellandi apud nos sine dubio ex isto Tulli Hostilii instituto natus est (\*). Propterea bene tibi sit Tulle Hostili! at melius tunc, si multos clientes prouocationis salubritate seruauero.

Similiter et ius agnationis, cuius ratio in tutela agnatorum legitima habetur, ortum est ab antiquissimis legibus Romanorum. Dicebantur autem ciuili vocabulo agnati, qui per virilis sexus cognationem inter se iuncti, atque a patre cognati essent: ut frater eodem patre natus, et patruus, quique ab iis descendunt. Nam, qui per feminini sexus personas cognatione inter se iungebantur, naturali vocabulo dicebantur cognati: quos patris, non matris familiam sequentes, ciuilis ratio distinxit. De illis, quorum caussa ciuile nomen inuentum est, in lege XII. Tabularum ita cautum fuit: *At si intestatus moritur, cui suus heres nec escit, agnatus proximus familiam habeto.* Itaque deficientibus heredibus suis, proximus agnatus ab intestato vocabatur. Quenam huius legis ratio fuerit, non est instituti mei disquirere. Id obseruandum est, legem onus tutelae deferre ad quem hereditatis spem detulerat. Itaque porro in XII. cautum legimus: *At si intestato moritur, cui suus heres nec escit, Agnatus proximus*

) ( 2

\*) De prouocationis origine consulendus est Excellentiss. Christianus Guilielmus Küstnerus, Ciuitatis Lips. Praetor, quem Patronum veneror, in Historia prouocationis Romanae Lips. 1740. 4.

*proximus tutelam nancitor.* Haec legitima tutela ita hodie recepta est iure et civili et publico, vt, in privati quidem, sublato inter agnatos et cognatos discrimine, huic, qui ab intestato succedit, siue Agnato illi, seu Cognato, deferatur; in illustribus autem familiis, in quibus Agnationis potior ratio habetur, sempiterna fere consuetudine, nisi aut mores aut pacta quid mutant, procedat.

Adoptiones apud nos non infrequentes esse priuatorum hominum, ipsa experientia docet. Ea vero, quae in adoptione, quam maxime nostra aetate observanda sunt, vt aetas patris, liberorum defectus, generandi facultas, et alia similia, ita planissime cum Romanorum super ea re institutis conueniunt, vt nemo percipere nostra, qui ista antiqua ignoret, possit.

Quid? modus donationis inter viuos, quae Iure Iustiniano et nostro Saxonico (Decis. Elect. XXVI. et Parte II. Const. XII. §. 5.) vltra 15 Hungaricos facta, nec iudici indicata, et ab eo in Acta diurna (*Gerichtsbuch*) relata, non consistit, nonne ad exemplum legis Cinciae introductus videatur? Hanc legem, cuius historiam singulari commentario Fridericus Brummerus diligentissime exposuit, anno iam ab V. C. 1516 latam, altero capite, donationes vltra nescio quam summam, fieri vetuisse, constat. Romanorum ita praestans et liberalis erat natura, vt largitionibus maximas saepe facultates profunderent: quod malum seria legis emendatione dignum habebatur. Nos non tam, quod eo malo valde laboremus, sed quod nec metuendo forte prou-

providere tamen volumus, Romanorum de donationibus instituta fere sequimur. Donationes autem ultra modum definitum factas Lex Cincia non omnino inutilis reddidit, sed, detracto tantum eo, quod ultra modum donatum erat, reliquum confirmavit. Ius autem nostrum Saxonicum, ad similitudinem Theodosii et Valentiniani, cc aureorum modum definitum, d aureorum summam in donationibus admittit.

Sed, ut ipsi quoque modum disputandi habeamus, vno tantum exemplo utamur. Legis Falcidiae usus quotidie apud nos frequentatus, nec intelligi satis, nec iudicari poterit, nisi ab eo, qui legis Falcidiae tempus et causam perspexerit. In XII Tabulis cautum fuerat: *vti pater familias legasset super re sua, ita ius esto.* Qua lege Romanis libera erat potestas legandi, adeo ut legatis liceret totum patrimonium exhaurire. Quod cum saepius fieret: hoc accidit, ut exhaustam legatis hereditatem heres repudiaret, atque ita spe heredis habendi testatores exciderent. Itaque lex Furia testamentaria lata est, a C. Furio Tribuno plebis, incertum, quo anno, ante legem quidem Voconiam, verisimile est qua lege cauebatur, *ne plus liceret, quam cio asses legati nomine capere, praeter exceptas personas, utque, qui plura cepisset, quadruplum solueret.* Sed Romani, ut fit, non tam sententiam legis, quam verba intelligere volentes, non legarunt quidem vni ultra asses cio, sed tamen legatarios tot scripserunt, ut saepe ne sic quidem penes heredem aliquid remaneret. Quare deinceps anno ab v. c. MDLXXXV lege Voconia sancitum

-fancitum est: *ne qui, census esset, plus cuiquam legaret, quam ad heredem heredesue perueniret.* Sed hic quoque, quod lex *censi* mentionem faciebat, census autem non ita seuerè amplius peragebatur, vt non multi ciues incensi essent, factum est, vt callida ratione legis auctoritati se subducerent. Ergo lege opus fuit aperta et ita perspicua, vt fraudes hominum aduersus eam nihil possent, eoque consilio Falcidia rogata est celebratissima inter paucas et nota adeo iis, qui alia omnia ignorant. Ea vero cautum est, *ne plus legare liceret, quam dodrantem bonorum*: h. e. vt, siue vnus heres institutus esset, siue plures, penes eum eosue quadrans (quae ipsa quoque quarta Falcidia dicitur) remaneret.





Kc 720

Kc 720

**ULB Halle** 3  
007 548 362



VD 48







Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

| Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
|------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|
|      |      |       |        |     |         |       |         |       |
|      |      |       |        |     |         |       |         |       |

ANTIQUISSIMI  
HODIERNO  
VESTIGIA  
ENDIT  
REDVS ZIZMANVS

2093.

